

idem ac dicere, quod partes non sunt totum, quod esset plane negari? Si ergo negat, quod partes habent subsistentias plane, quia subsistunt in toto, utique negat illis subsistentias partiales quia solum istarum capaces sunt, et dicendo quod subsistunt in toto solum agnoscit subsistentiam totalem, in qua partes mediate subsistunt.

XI. Et ex hoc explicatur ulterius fundamentum supra illatum, quia subsistentia importat modum, et formalitatem totius per modum termini ultimi, ita quod ipsa ratio totalitatis, et terminationis præbetur a subsistentia, ergo non potest convenire partibus vera, et propria subsistentia, nisi æquivoce loquendo de subsistentia, et cum sit modus totius, ut totum est faciendo illam modum partis, ut pars est. Itaque vis hujus fundamenti, et rationis consistit in hoc, quod subsistentia, seu personalitas pertinet ad rationem totius, et completi; aliquis enim modus ponendus est pro complemento naturæ, et pro ratione ultimi termini, quo natura reddatur ultimo terminata, et completa, iste enim effectus formalis ab aliqua forma, seu formalitate præstari debet, et id vocamus subsistentiam, sed personalitatem. Repugnat autem, quod ista ratio seu formalitas totalitatis inveniatur partialiter, seu componatur ex modis partialibus, nam licet entitas totius componatur ex entitatibus partium; tamen modus partialitatis est oppositus modo totalitatis, et terminationis, cum modus partialitatis sit modus communicabilitatis, modus autem totalitatis, seu subsistentiæ sit modus incommunicabilitatis; ergo dicere, quod datur subsistentia partialis est idem ac dicere, quod datur terminus non ultimus, seu non terminans, et incommunicabilitas communicabilis, pertinet enim ad subsisten-

tiam incommunicabilitas, et ad rationem partis, quod sit communicabilis. Si autem dicatur subsistentias partiales esse communicabiles, et quod dicunt modum partis non modum totius, consequenter dici debet, quod subsistentia partialis non est ejusdem rationis, cum subsistentia totali, sed potius ei opposita, et privationem illius importans, sicut communicabile, et incommunicabile, atque adeo non potest una componi ex aliis. Unde oportet hoc bene notare in quo contingit hallucinatio, quod licet entitas totius componatur ex entitate partium, tamen status, seu modus partis non potest componere modum, seu statum totalitatis, quia ei opponitur, et ita subsistentiæ partiales non possunt componere subsistentiam totalem. Sicut autem in quantitate unum punctum indivisibile terminat totam lineam, et omnes ejus partes, alia vero puncta intermedia non habent rationem terminantis etiam partialiter, sed solum continuantis, sic in substantia modus partis non potest dici subsistentia partialis, sed sola subsistentia totius, quia terminus ultimus, et complementum est.

XII. Contra hanc tamen resolutionem præter ea, quæ soluta sunt quæst. vii physicor. art. iii, objicies primo ex p. Suarez, disputat xxxiv, met. sect. v quia subsistentia in rebus materialibus habet extensionem per totum corpus: ergo, et divisionem, et compositionem, quidquid enim extensum est debet esse divisibile, et compositum. Secundo, quia subsistentia rei corporeæ non est tota in toto, et tota in qualibet parte, alias esset modo spirituali, ergo erit tota in toto, et pars in parte, et sic subsistentia habet partes, quod est dari partiales subsistentias. Tercio, quia subsistentia est modus, ut supra diximus, ergo non per inhærentiam sicut accidens unitur, sed

per identificationem cum re cujus est modus, ergo si res illa habet partes etiam et modus, nec potest unus modus identificari cum omnibus partibus. Quarto, quia Verbum divinum assumpsit humanam naturam, et partes ejus, ut communiter docent theologi in p. q. vi, ergo partes sunt assumptibiles, sed assumuntur a subsistentia divina destruendo subsistentiam propriam, ergo aliquam subsistentiam partialem habent partes.

XIII. Ad primum respondetur quod subsistentia non habet extensionem formaliter, nec partes, sed solum virtualiter, quia respicit partes sui compositi terminandas, et ita terminative dicitur divisibilis, quia est terminus rerum divisibilium, et respicit omnes illas partes tamquam mediate attactas, attingendo ipsum compositum, quod constat ex illis partibus, respicit enim illud totum per modum unius, quia per modum termini, sicut punctum terminans, partes lineæ respicit omnes illas partes per modum unius, et est in illis inadæquate, quatenus per modum termini respicit omnes illas partes. Unde dicit D. Thomas, q. ix de potent. art. iii ad iv: « Quod personæ in quantum hujusmodi accedit, quod sit composita ex hoc quod complementum, et perfectio, quæ requiritur ad rationem personæ non invenitur statim in uno simplici, sed requirit adunationem multorum. » Ergo personalitas, seu subsistentia non habet formaliter partes, id est, subsistentias partiales, sed solum præsupponit partes, ex quibus originatur, quia resultat ex ipso composito quatenus totum, et integrum est ex suis partibus, et sic præsupponit partes tamquam requisitas ad totum, sed hoc est per accidens, et materialiter, quia totum est compositum ex partibus; in Angelis enim datur totum,

et subsistentia sine resultantia ex partibus. Et talis modus resultans ex ipso toto, ut habet rationem totalitatis, ita convenit toti immediate, et partibus ejus mediate, quod non dividitur ad divisionem partium, quia non convenit illis secundum quod distinguuntur, et extenduntur in plures partes, sed ut adunantur in unitatem, et terminationem totius, et sic solum est in partibus terminative, et inadæquate, formaliter autem in toto, ut præcise unum est, sicut punctum non est in aliqua parte, vel partibus adæquate, sed inadæquate, licet omnes partes terminet, quia omnes respicit terminative, in quantum comprehenduntur in aliqua unitate, et terminatione non informative in illis quatenus plures sunt. Et sic non repugnat aliquid indivisibile sine hoc, quod formaliter extendatur in se, afficere plures res divisibiles terminative, et inadæquate, quia respicit illas sub aliqua ratione unitatis, vel ultimi non sub ratione pluralitatis et extensionis. Qua doctrina in multis exemplis philosophicis utimur, sicut anima perfectorum animalium est indivisibilis formaliter, quia licet respiciat plures partes corporis, ut informandas, omnes tamen per modum unius quia requirit corpus informabile esse organicum et ultimam dispositionem in ratione animæ. Similiter qualitas indivisibilis potest motu divisibili intendi et ejus gradus acquiri motu divisibili etiamsi gradus ipsi non sint partes divisibiles, sed modi perfectioris radicationis, qui tamen virtualiter sunt divisibiles quatenus inter unum, et alium est latitudo positiva vincenda per motum, eo quod est inter terminos positivos, sicut etiam species coloris intermedii acquiruntur motu, quo de una specie transitur ad alia, non quod inter speciem, et speciem detur pars, seu medietas

speciei acquirendæ, sed quia datur latitudo positiva inter speciem, et speciem; similiter potest dari in ipso toto relatio totius ad partes, quæ tamen non est in ipsis partibus partialiter, et divisibiliter, cum potius partes habeant correlationem oppositam. Ac denique punctum terminat partes lineæ, nec tamen est in singulis partibus divisibiliter.

XIV. Ad secundum respondetur, quod tota subsistentia est in toto supponendo compositionem ex partibus, ut resultet modus ipse totalitatis, non tamen est tota subsistentia in partibus, nec partes subsistentiæ formaliter sunt in illis, sed solum est in partibus terminative, et mediate, quia omnes terminat afficiendo unico modo totum in eo, in quo unico, et totali modo terminabile est, et sub ratione totius afficit partes non per modum extensionis, et divisibilitatis sui, sed per modum terminationis, et unitatis, sicut in exemplis supra allatis ostensum est, et articulo quarto amplius ostendetur.

XV. Ad tertium dicitur quod modus totius ut distinguitur a modo partium est in toto sine divisione in partes, sed terminando totum afficit partes virtualiter in quantum constituunt ipsum totum, et præsupponuntur ad ipsum, non autem per illas se formaliter dividendo.

XVI. Ad quartum dicitur quod Verbum assumpsit partes ut sunt in toto, et constituunt totum, non autem partialem subsistentiam eis tribuendo, non enim minus dicitur Verbum, aut Christus, sed dando subsistentiam toti, etiam in illo partes intelliguntur assumptæ mediate, et prout in toto, non autem immediate, et per partialem subsistentiam. Videantur quæ diximus citato loco physicorum.

XVII. Deinde, objicies quia in

anima rationali datur subsistentia partialis, et communicabilis, separata non subsistit, et non tamquam totum, seu persona, ut D. Thomas docet in III, dist. v, q. III et ibid. ad Annibaldum, art. II ad IV et I part. q. XXIX, art. I ad V, ergo ut pars. Similiter in Deo ponunt multi theologi subsistentiam absolutam præter relativas, ut infra ostendetur in materia de Trinitate et non per modum suppositi, seu personæ, sed ut communicabilis tribus Personis, ergo non repugnat dari subsistentias partiales, quæ non constituent suppositum, sed terminum ultimum.

XVIII. Respondetur animam rationalem separatam, licet sit subsistens quantum ad hoc quod est existere independentem ab alio, quod in aliis formis, vel partibus substantialibus non reperitur (ideoque nec subsistentiam partialem habent in ratione termini incommunicabilis; neque existentiam per se in ratione independentiæ in essendo) adhuc tamen dicimus, quod subsistentia illa, seu existentia per se animæ rationalis non est subsistentia partialis, sic enim supponeret aliam partialem ex parte corporis, ut cum illa componeret unam tertiam totalem, et sic si ponimus subsistentiam partialem in anima ad componendum unam subsistentiam integram, necessario tenemur fateri etiam in corpore prout distinguitur ab anima dari subsistentiam partialem, quæ componat cum subsistentia animæ, et sic non erit proprium animæ habere subsistentiam per se, et existere separatam. Si vero in corpore non admittimus partialem subsistentiam, et tamen anima subsistit separata, necessario dicendum est totam subsistentiam hominis dari in anima, sed non totaliter explicari in anima, sed in communicatione ejus ad corpus, ibique

subsistere incommunicabiliter, quatenus non est amplius explicabilis, et communicabilis in aliud, ideoque anima separata non est persona, quia non est ibi subsistentia modo incommunicabili, eadem tamen subsistentia, quæ est in homine, est in anima, et eadem existentia, ut docet D. Thomas 1-2, q. IV, art. V ad II, ut ostendimus quæstione VII physicorum citata. Et quando moritur homo manet quidem totum esse hominis in anima, sed non manet communicatum corpori, et hoc est hominem mori; nec manet illud esse animæ tamquam esse hominis, quia non est esse communicatum corpori, sicut Verbum divinum si dimitteret humanitatem, non amitteret esse, et subsistentiam simpliciter, sed ut communicatam homini, et ut humanam. Plura videri possunt loco citato.

ARTICULUS III.

Utrum existentia distinguatur ab essentia in creatis, et quomodo?

I. Supponendum est quid nomine existentia intelligamus, quia nisi in hoc conveniatur non potest difficultas ista intelligi, et explicari. Nominem erga existentia intelligitur communiter apud omnes illud, quo aliquid denominatur positum extra causas, et extra nihil in facto esse. Ad quod non sufficit denominatio aliqua extrinseca ex præterita productione proveniens, nec pura, et sola relatio dependentiæ ab agente. Et ratio utriusque est, quia existentia, seu esse est aliquid maxime reale, et intrinsece denominans rem existentem, si quidem nulla res dicitur existere nisi in se realiter extra causas ponatur, et per hoc quod habet tale esse maxime discernitur ab ente rationis, et a negationibus eo quod per exis-

tentiam ponitur extra nihil: ergo oportet quod sit aliquid reale in ipsa re existente, et consequenter non sit sola denominatio extrinseca, quia hæc nihil reale ponit in denominato. Neque existentia est relatio ad aliud, quia unumquodque dicitur esse in ordine ad se, in tantum enim existit, in quantum in se habet esse, imo ipsamet relatio, cuius totum esse est ad alterum non dicitur existere ratione ipsius ad, sed ratione ipsius in, quia unumquodque existit ad se non ad alterum.

II. Secundo, supponendum est existentiam hoc modo sumptam distinguere a subsistentia, nec D. Thomam pro eodem sumere subsistentiam, et existentiam, in quo aliqui valde decipiuntur putantes D. Thomam pro eodem reputare existentiam, et subsistentiam. Imo aliqui qui negare non possunt in doctrina Thomæ existentiam, et essentiam realiter distinguere in creaturis, dicunt tamen non sumi existentiam pro actualitate quæ res ponitur extra nihil, et extra causas, hanc enim dicunt non distinguere ab essentia reali, seu posita extra statum possibilitatis, sed sumi pro eo, quod constituit rem per se, vel in alio existentem, et hoc modo distinguere a D. Thoma ab essentia, quod est sumere existentiam pro modo subsistentiæ, vel inhærentiæ. Ita nuper Viescas supra I p. q. III, art. IV dub. XI et q. IV, artic. I, dub. III, in quo plane consentit his, qui extra scholam D. Thomæ non distinguunt existentiam ab essentia posita in re, neque enim ipsi sumunt existentiam, nisi pro actualitate reddente rem extra causas, ut videri potest apud p. Suarez, disput. XXXI met. sect. IV; Vazquez, III p. qu. XVII, artic. II, disp. LXXII, c. ultimo et alios, nec eam sumunt pro subsistentia, neque renunt concedere subsisten-